Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars III.
Wien, 1794 Seite 3131
Quelle:
Copyright:

1387. in qua rhythmica *Apostolorum* postremus *Martialis*, *Lemovicensium* ille primus Episcopus medio demum Sec. III. *Roma* missus, ita adpellatur:

Sancte dei marcialis munda me a cunctis malis.
Et possim placere Christo, in cuius conspectu sisto.

Et tum reditur ad *Stephanum* Protomartyrem. Hinc succedunt *Les XV. ioies nostre dame*, et *Les V. plaies nostre seigneur* cum quibusdam Hymnis *gallicis* de Trinitate et Deipara. Officium denique Defunctorum *Codicem* magni pretii externi finit, quem, ut quid divinem, *Elisabeth Maximiliani* II. filia mortuo Marito *Carolo IX. Franciae* Rege *Viennam* redux penatibus *Austriacis* intulit. Adscribam, quod narrat *Job. Gans* in vernac. Gynecaeo Austr. vulgo *Oesterreichisches Frauenzimmer*, *Colon.* 1638. p. 288. 8. Orantis in quadam Ecclesia *Parisina Elisabethae* scabello a quodam Senecione ignoto impositum nec verbo dicto artificiosissimum Librum in forma 4. cumque Regina oculos in eum vellet intendere, Virum evanuisse. Statuat Lector.

DCCCXCI.

965 Codex membraneus belg. Sec. XV. Folior. 163. 4. nitide perscriptus, literis initialibus, et marginibus multis auro, picturaque variis, et insuper Iconibus grandibus vividis VI. speciosus *Horarium* est sequentia complexum: *Calendarium*, quod Indigetes *Belgii* multos miniatos, insigni vero etiam Librarii oscitantia *Michaelem apostolum* exhibet, *Onser lieuer vrouwen Getide*, *Getide van der ewiger wysheit*, *die lange cruus getide*, *die heilige geest getide*, *die seuen salme van penitencien* cum Litaniis OO. SS. pariter Sanctis *Belgicis* repletis, demum *die langhe vigelie der zielen.* Icon I. *fol.* 14. p. 2. in limbo florido habet annum 1487. et literas *Sprinc*, nomen fortasse Pictoris. *Fol.* 68. in limbo simili Angelus Insignia argentea rubro fasciata ostentat, quae ex *Nobiliaire des Pays — Bas T. I. Lovan.* 1760. p. 311. Stirpis *du Forest* esse arguo, cui consonat, quod *Codici* praescriptum est: *Dit Boeck hoort for Joost Willems S.r van Forest*; cumque gliscentibus Seculo sequente per *Belgium* erroribus Libri ad Sacra pertinentes Censoribus submittendi essent, inferius adjicitur: *Niet voerboden int placaet*, *anno domini 1570. Ita attestatur Fr. Nicolaus Coustelier Junij 13.* Silentio nolim praeterire *Foll.* 87. 130. et 163. adglutinatas Icones lineari tantum pictura eleganter admodum informatas, quarum ultima tamen coloribus induci coepit, quaeque omnibus potiores sunt, quas *Codex* censet.

DCCCXCII.